Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1983

Quelle:
Copyright:

missa sunt manu Sec. XIV. *Decreta* cujusdam Ecclesiae, aut cujusdam *Synodi* in *Galliis*, ut videtur, celebratae; inter festos enim, qui agi jubentur, dies mensi *Octobri* Festum *Sancti Dyonisij* adsignatur. De tempore conjectes ex his verbis: *Et nos collationes parochialium ecclesiarum admissiones et institutiones ad easdem faciendas uel factas a tempore Generalis Concilij ultimi lugdunen.* (1274) *personis qui vicesimum quintum Annum etatis sue non attingerint, pronuntiamus et declaramus nullas esse ipso iure* &c. Agitur porro in hoc Fragmento de Celebratione Festorum, de Beneficiis ecclesiasticis, de Clericorum Vita, ubi inter alia prohibentur exercere officium *prosenece* (Proxenetae, προξενοι, gall. *Courtier*) *triparii* (venditoris Extorum gall. *Tripier*) quibus simila habes in *Statut. Ecclesiae Leodiens.* a. 1287. T. IV. *Anecdot. Marten. col.* 853. de Monachis, de Archidiaconis et Decanis.

DXIV.

113 Codex chartaceus germ. lat. Sec. XVI. Folior. 248. f. Continet I. *Liturgiam* Ecclesiarum Protestantium *Saxoniae* hoc titulo: *Agenda wie es in des Churfürsten zu Sachssen Landen in denn Kirchen gehalttenn wirtt.* Praefatio incipit: *Der Almechtig Ewig gott hatt sich mit gewissenn gezeugnussenn, mit auferweckung der thottenn* &c. Pars *prior* theoretica est agitque de Doctrina christiana, de Lege et Evangelio, de Justificatione hominis, de bonis Operibus, de Sacramentis, de Oratione, de Magistratibus, de Regimine ecclesiastico. Pars *altera* practica, seu, ut vocatur, *Agenda* a *fol.* 22. p. 2. tractat de Baptismo, introductione Puerperae in Ecclesiam, Confirmatione, Confessione et Absolutione, Poenitentia publica, Missa et Communione, Consolatione Infirmorum, et Captivorum, de Ordinatione Ministrorum Ecclesiae, ubi ad p. 111. insertus est *Elenchus* latinus *Quaestionum* LXII. Ordinandis proponendarum, de Praedicatione, Cantu sacro, Catechismi exercitio, Litaniis, Jejunio, Diebus festis, cultu SS. Nuptiarum celebratione, et sepeliendi Ritu.

II. a *fol.* 179. *Sequuntur pio studio Collecta cantica et descripti ritus Ceremoniarum, que obseruari deinceps debeant in Ecclesiis nostris* &c. Ut alibi retulimus, cum eorundem *Theologorum* nominibus subscriptis. Editiones hujus Liturgiae habentur in *Chr. Julii Boeckelmanni Bibliotheca Agendarum* in lucem prolata ab *H. Casp. König, Zellae* 1726.

DXV.

Codex chartaceus germ. Sec. 128
XVI. Folior. 54. f. Continet absque Titulo *Liturgiam* Ecclesiarum Protestantium *Saxoniae* jam exhibitam supra. Praefatio incipit,